



273

a Soldano optatum impetrassent, et multis impensis habitis oratorium erexissent, mox rabidi canes Sarraceni oratorium irrumpunt, totumque aedificium solo coequant, sicque hodie est locus sicut eo tempore, quo vidi.

De loco, in quo S. Matthias fuit loco Judae in Apostolum electus sorte.

Non longe ab illo loco procedendo contra ecclesiam Syon venimus ad lapidem quendam rubeum, ubi est locus, in quo b. Matthias fuit in Apostolum electus, ut habetur Actuum 1., loco Judae proditoris, cui subrogatus in hoc loco fuit. In hoc loco prostravimus nos in oratione, et indulgentias accepimus (†), cum praescriptis canticis, et fuit nobis locus iste magis devotus et domesticus, eo quod sacrum corpus ejus apud nos in Alemannia in civitate Trevirensi habetur.

De loco, in quo Jacobus minor fuit ordinatus episcopus Jerosolymitanus.

Inde procedentes venimus ad murum coemeterii fratrum, et in muro est lapis albus cum impressa cruce, et ibi est locus, in quo Apostolus Jacobus minor in episcopum Jerosolymitanum fuit electus et ordinatus, et in quo prima Missa ab eo celebrata fuit. Tanta enim sanctitatis erat Apostolus ille, quod Apostoli sibi hunc honorem exhibuerunt post ascensionem Domini, ut primus inter eos Missam celebraret coram Apostolis, et eum pontificem in Jerusalem ordinaverunt, tanquam populo Jerosolymitano magis acceptum, quia solus ille propter eximiam sanctitatem permittebatur intrare in sancta sanctorum, et nullus alius Apostolus. Fuit enim ex utero matris sanctus et Nazareus, vinum et siceram non bibit, carnes nunquam manducavit, ferrum in caput eius non ascendit, oleo non est unctus, balneis non est usus, syndone **(106A)** semper indutus. Totiens in oratione genua flexerat, ut callos in genibus sicut calcaneis videretur habere. Et propter nimiam ejus sanctitatem tanta reverentiae in populo

18

288

286

292

282

297

277

337

237

387

187

Ende

Anfang